

281

279

285

275

290

270

330

230

380

180

Descriptio Cretae insulae.

Cretam sive Candiam descripturus multa gentilium et poetarum facta inducere regio cogit. Sicut enim descriptio terrae sanctae complectitur sacras historias, sic descriptio Graeciae, maris et insularum ejus fictiones implicat poeticas. Nam sicut in terra sancta exortae sunt veritates theologicae, sic in Graecia ortae sunt fictiones poeticæ. Et sicut in terra sancta apparuit unus Deus et homo verus, sic in terris his apparuerunt plures homines, dii falsi. Et sicut terra sancta habuit homines sanctos, sic terrae illae habuerunt homines spurcissimos, de quibus quidem taedet me dicere, sed superato taedio occurrentia de his tangam.

Hujus insulae nomina sunt plura: olim enim dicebatur Oceania, postea Macaroneson, deinde Creta, demum Centopolis, Aërea et Candia. Primum nomen habuit a quodam dicto Oceano, quem credunt ibi habitasse, et filium Coeli et Vestae sive Terrae eum dicebant, a quo et mare mundum circumiens Oceani nomen accepit, eumque pro summo Deo colebant, imo et patrem deorum dicebant, illi praecipue, qui humiditatem principium omnium rerum esse dicebant.

Dicta etiam fuit Idaea haec insula, ab uxore Jovis Idaea dicta, ex qua multos genuit gentilium deos, ipsamque diis con-

Ende

Anfang

